



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De confessis. Consilium XCIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

De confessis.

SVMMARIVM.

Confessionis revocatio.

1. Responsio relativa confessionem implicat.
2. Instrumento publico creditur.
3. Errorem alleganti incumbit probatio.
4. Errorem non habet scientia.
5. Confessio parte absente facta quando nocet.

CONSILIVM XCIV.

QUAM parum subsidij in suis exceptionibus sperare debeat Henricus Martini, maritus Margaretae Boelmans relictae legitimae quondam Ioannis Rommael, huius causa Rei originalis, adversus Reverendum Dominum Abbatem & conventum Monasterij S. Laurentij Leodiensis Aëtoies, satis demonstrant tres novissime interlocutoriae per Dominum Iudicem latae, quibus exceptionibus partis rea, tamquam frivolis & minime relevantibus rejectis, ad conclusionem in causa processit. Et sane si non omnino veram calumniam, speciem saltem illius aut magnum Advocati errorem habet, quod pro parte Rei allegatum fuerit, Actores possidere hypothecas, ex quibus redditus octo modiorum spem petitus debeatur; cum initio causa excipiendo dilatorie contendit, actione hypothecaria, non perionali agendum fuisse Aëtoious, quam Actores exercere non possent, si hypothecas possiderent: frustra enim prosequimur possessionem, quam obtinemus, l. 1. §. interdictum *Ve p. sci. de iur.* Satis itaque est Actoribus, quod intentionem suam fundaverint adversus Reum, probata scilicet antiquitate huius redditus, & solutionibus annorum fere ducentorum, continua serie per dictum Ioannem Godefridum ipsius patrem, Ioannem avum, Mariam proaviam, Arnoldum abavum, Ioannem atavum, & Waltherum tritavum factis, & *querela & ibi doct. de elect.* Quibus quidem registris fidem adhiberi, atque ijs in iudicio, & extra stare pars rea aperte confessa est. Et quamvis huiusmodi registra propter eorum multitudinem hic non sint exhibita, facta tamen est inde clausularum hanc causam concernentium extractio per Gerardum de Furno Notarium publicum ex speciali Domini Iudicis commissione, ut etiam pars rea ingenuè fateretur; hoc solum his extractis obijciens, quod sint facta se non vocato: cuius quidem objectionis aliquod esset momentum, *Bart. in Authent. Si quis in aliquo nu. 4. C. de eden. Felin. in c. ult. nu. 6. de fide instrum.* si in contradictione pars rea perseverasset, & huiusmodi extractis in principio se objecisset. Caterum quando in progressu litis non tam perimit, quam à se litem averte, tacita confessione quod redditus debeatur Actoribus, dum se hypothecas possidere negat; parum movere debet; tantoque minus quod cellantibus etiam registris Ioannes Rommael ante praesentis litis initium in praesentia Godefridi de Lacu Notarii publici aperte confessus sit se huiusmodi redditum debere ratione certarum terrarum, quas Godefridus de Rommael pater ipsius dum vixit

possedit, & ipse Ioannes tempore confessionis possidebat, promittens per fidem suam corporalem huiusmodi redditus tunc pro duobus annis, post mortem scilicet Godefridi cellos. Actoribus solvere, & in futurum perpetuis temporibus quocumque annis solvere, & solutionem illorum continuare; ut aperte constat ex instrumento publico in actis reproducto. Cujus quidem instrumenti fidem pars rea agnovit, non tantum per recognitionem manus, signi, & Notarius dicti Godefridi de Lacu; verum etiam contentorum in eodem, * per hoc, quod respondendo ad articulos Actorum, contenta dicti instrumenti contententes dixerit, se referre ad huiusmodi instrumentum: nam talis responsio continet implicitam confessionem huiusmodi recognitionis seu instrumenti desuper confecti, l. fin. c. de falsa causa *ad elect. leg. Guido Papa de off. 334.* quia nihil interest aliquid expresse dicatur, an per relationem, cum relatio insit referenti, *Doct. in l. Affe voto de hered. instit. & in l. si ita scripsero. de condit. & demonstrat.*

† Quamvis alioquin etiam cellante ea confessione, juris praesumptio stet pro veritate contentorum in instrumento; quia contentis in instrumento publico in debita forma confectis, creditur & itatur, quamdiu ex diverso contrarium non probatur, l. cum precibus & ibi Bald. C. de probat. † Cuius quidem confessionis & recognitionis vim & effectum non diminuit allegatio partis rea, quod illam fecerit erronee: nam alleganti errorem incumbit probatio; cum facti sit, & non praesumatur, l. si post divisionem C. de iure & facti *ignot. praesertim in facto proprio Bart. in l. Non facietur. nu. 10. de confes. rason in d. l. si post divisionem in princ. Unde opus est, quod doceat rem aliter se habere, gloss. in l. de acate §. qui iusto de interrog. action. Bald. in l. 3. §. fin. si quis cautionib. &c. quod non tantum non fecit pars Rea, sed nec allegavit quidem.*

† Et sane praesumptio erroris tanto minus hinc sumi potest, ex eo, quod ex certa scientia facta sit haec confessio, & confessioni conjuncta promissio: huiusmodi enim clausulae adjectio in contractibus, non hoc tantum operatur, ut non praesumatur, sed quod nec allegari possit error, *Alexand. in d. l. 3. §. fin. Bald. in l. Mater. C. de rei vindic. nu. 4.* Et praeterea hic concurret probabilitas ac verisimilitudo rem ita esse, etiam ex eo, quod Reus hunc redditum solverit in vim dictae confessionis & promissionis, non tantum pro duobus illis annis, qui tunc venerant, sed etiam tribus sequentibus, ut Reus confessus est; tum ex eo, quod Reus patri suo Godefrido (quem plurimis annis hunc redditum solvisse constat) haeres sit factus; tum quod nulla sit praesumptio Reum soluturum fuisse, nisi quoque ex causa successionis hypothecas possideret, uti aperte se occupare confessus est.

Quibus non adversatur, quod ex instrumento dictae confessionis non constet Actores praesentes, nec à Reo promittente stipulatos fuisse: nam quamvis alias confessio parte absente facta non noceat absenti, l. certum. §. si quis absente. *De confes. & ad semiplenam probationem tantum faciat, Bart. in l. Admonendi de iur. & alteri facta promissio, alij nisi stipulanti, actionem*

actionem non tribuat, §. alteri. *Inst. De iur. stipul.* plene tamen probat, si fiat ex aliqua causa, præsente aliquo, qui nomine absentis eam acceperit, & absens postea ratam habeat, *Idem. In sol. in ca. Si cautio & ibi Felini nu. 37. De fide instrum. Hippol. De m. i. m. l. Si quis ne quaestio nu. 128. De questionib. prout hic evenit: quia confessioni adiecta est causa, quod bona patris sui essent obligata pro hoc reditu, & quod ipse eadem bona occuparet; quam sic factam confessionem Notarius accepit, & ratam habuisse Actores constat ex usu dicti instrumenti recognitionis & promissionis. Quæ quidem promissio, quia Notario seu tabellioni publicæ personæ stipulanti & acceptanti facta est, utilis debet esse ipsi, ad quorum utilitatem facta est, quamvis absentibus etiam ad actionem inde producendam, si eam receptissimum sit stipulationem Notarii, tamquam publicæ personæ prodesse alteri, si cuius utilitatem facta est, *L. 4. & ibi Bart. D. Rem. p. p. l. sal. v. am fore l. cum qui §. si aliter. De cons. pec. l. e. l. i. m. a. tam evidenter constat de iure & intentione Actorum, ut nihil de ea sit dubitandum; & sic cum nullâ iusta exceptione elidatur, consequens est ut Reus nomine suæ uxoris (quæ ut relicta legitima Ioannis Rommæ originalis Rei, ex notoria consuetudine harum regionum, marito in debitis & creditis successit, hanc causam resumpsit; cuius resumptionem dictus Henricus suâ quoque resumptione postea facta confirmavit) condemnari debeat secundum petitionem & conclusionem dictorum Actorum.**

De confessis.

SUMMARIUM.

Confessio ex contumacia.

1. Contumax non respondens pro confesso est.
2. Citatio per audienciam contradictoriam.
3. Iurare non debet qui plene probavit.
4. Duobus citatus contrarium solum potest procedi.

CONSILIVM XCV.

CVR per decretum D. Conservatoris in causa beneficii inter M. Iacobum Blavirium Impetrantem, & D. Ioannem de Meestere citatum, super iure ac titulo Ecclesiæ parochialis de Gelicke, nuper declaratum sit, causam sic non esse instructam, ut Impetranti conclusio in hac causa capta contra citatum ad iudicari possit, adhibita etiam disquisitionis diligentia, ut ingenuè fatear, invenire aut deprehendere non potui: quippe in actis omnia plenissimè deducta & probata invenio, quæ ad Impetrantis intentionem fundandam necessaria sunt; videlicet in primis ius nominandi Facultati artium concessum per exhibitionem processus fulminati in authentica forma deinde Impetrantis idoneam & requisitam qualitatem clericaturæ, per literas tonsuræ sigillatas, & promotionis in artibus per testimoniales literas dictæ Facultatis; tertio nominationem per dictam Facultatem de persona Impetrantis factam ad Abbatissam & conventum de

Consil. Wamef. Tom. I.

Munsterbilsen; quarto acceptionem & provisionem Impetrantis de hac parochiali Ecclesiâ, & subsecuta illius corporalis possessionis traditione & apprehensione per bina de his rebus notarialia instrumenta; quinto iustum & legitimum mandatum per dictum Impetrantem M. Iaspari Granvillano V. I. Licentiato cum potestate substituendi datum, ad nomen Impetrantis acceptandum quicumque beneficia dicto Impetranti quavis auctoritate conferenda vel obventura, etiam vigore nominationis; & de acceptatis provisionem seu cessionem, corporalemque & actualem possessionem obtinendam; vigore cuius mandati dictus M. Iaspar M. Ioannem Staphel primum, deinde Ioannem Hoerum substituit; quorum ille actum acceptionis & provisionis; hic corporalis & actualis possessionis apprehensionem explicuit; & hæc quidem omnia per legitima, & sufficientia documenta. Quæ verò per documenta ita commodè probari non potuerunt, veluti quoddam Abbatissam & conventum de Munsterbilsen pertineat hujus Ecclesiæ ordinaria collatio; quod dicta parochialis Ecclesiâ de Gelicke sit in patria & diocesi Leodiensi; quod ejusdem Ecclesiæ fructus, & obventiones non excedant taxam in bulla nominationis præscriptam, sed infra illam sint; quod illius novissimus Rector fuerit M. Ioannes Batus; quod is decesserit in Maio novissimè præterito; quod per ejus mortem hæc Ecclesiâ vacaverit; quod nominatio, acceptatio, provisio, & apprehensio prædictæ sint debite publicatæ: hæc omnia atque ita manus, signa, sigilla, & qualitates eorum, qui instrumenta per Impetrantem exhibita scripserunt, signaverunt aut respectivè sigillaverunt; ob contumaciam dicti M. Ioannis de Meestere ad respondendum debite moniti, sub pena confessati & recogniti præscripto tempore non respondentis, sunt decreta habenda esse & haberi pro confessatis & recognitis. † Cuius confessati & recogniti potestas superat omne aliud genus probationis, c. Quoniam per confessionem De privil. l. Proinde si occisus §. notandum D. Ad. L. Aquil. Alexand. cons. 127. Visita inquisitione nu. 1. vol. 4. quod est non tantum in vera confessione, quæ fit ex responsione & viva voce confitentis, verum & in ficta & præsumptiva, quæ constituitur ex contumacia seu ob contumaciam illius, qui respondere iussus vel tacet vel ad respondendum non comparet, l. de atate. §. qui tacuit. D. l. i. interrog. action. ut in his iisdem terminis causæ beneficiæ respondit Oldradus cons. 320. Breves allegationes nu. 2. vers. præterea cum positiones. Hippolytus de Marfil singulari 12. † Cum enim in hac causa sit processum per primam citationem executioni mandatam ad propriam personam præfati M. Ioannis de Meestere, ut constat ex relatione executoris, potuit ex stylo consistorij D. Conservatoris, ab antiquo ita semper observato, ad imitationem processus Curie Romanæ, ad ultiores litis actus procedi per citationes ad valvas per audienciam contradictoriam; præsertim contra eum, qui non in eadem, sed alia diocesi seu provincia debebat, & contra absentem perinde ac præsentem procedi, etiam usque ad sententiam inclusivè; potissimum tunc, cum per citationem adversarius citatur super tota causa & ad omnes

P 3 actus,